

ANONYME

PERVIGILIUM VENERIS (94 vers)

v.1 Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet.

2 Ver novum, ver jam canorum, vere natus orbis est,
3 vere concordant amores, vere nubunt alites,
4 et nemus comam resolvit de maritis imbribus.
5 Cras amorum copulatrix inter umbras arborum
6 implicat casa virentes de flagello myrteo :
7 cras Dione jura dicit fulta sublimi throno.

8 Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet.

9 Tunc cruore de superno spumeo pontus globo
10 caeruleas inter catervas, inter et bipedes equos
11 fecit undantem Dionem de maritis imbribus.
12 Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet.
13 Ipsa gemmis purpurantem pingit annum floridis,
14 ipsa surgentes papillas de Favoni spiritu
15 urget in toros tepentes, ipsa roris lucidi,
16 noctis aura quem relinquit, spargit umentis aquas.
17 En micant lacrimae trementes de caduco pondere :
18 gutta praeceps orbe parvo sustinet casus suos.
19 En pudorem florulentae prodiderunt purpurae :
20 umor ille, quem serenae astra rorant noctibus,
21 mane virgineas papillas solvit umentis peplo.
22 Ipsa jussit mane ut udae virgines nubant rosae :
23 facta Cypridis de cruore deque Amoris osculis
24 deque gemmis deque flabris deque solis purpuris
25 cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea,
26 unico marita voto non pudebit solvere.

27 Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet.

28 Ipsa Nymphas diva luco jussit ire myrteo :
29 it puer comes puellis : nec tamen credi potest
30 esse amorem feriatum, si sagittas vexerit.
31 Ite, Nymphae ; posuit arma, feriatum est Amor.

32 Cras amet qui numquam amavit, quique amavit cras amet.

33 Jussus est inermis ire, nudus ire jussus est,
34 neu quid arcu, neu sagitta, neu quid igne laederet.
35 Sed tamen, Nymphae, cavete, quod Cupido pulcher est :
36 totus est in armis idem quando nudus est Amor.
37 Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet.
38 Conpari Venus pudore mittit ad te virgines.
39 Una res est quam rogamus : cede, virgo Delia,
40 ut nemus sit incruentum de ferinis stragibus.
41 Ipsa vellet te rogare, si pudicam flecteret,
42 ipsa vellet ut venires, si deceret virginem.

43 Jam tribus choros videres feriantis noctibus
 44 congreges inter catervas ire per saltus tuos,
 45 floreas inter coronas, myrteas inter casas.
 46 Nec Ceres, nec Bacchus absunt, nec poetarum deus.
 47 Detinenter tota nox est perviglanda canticis :
 48 regnet in silvis Dione : tu recede, Delia.

49 Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet.

50 Jussit Hyblaeis tribunal stare diva floribus ;
 51 praeses ipsa jura dicet, adsidebunt Gratiae.
 52 Hybla, totus funde flores, quidquid annus adtulit ;
 53 Hybla, florum sume vestem, quantus Aetnae campus est.
 54 Ruris hic erunt puellae vel puellae fontium
 55 Quaeque silvas, quaeque lucos, quaeque montes incolunt.
 56 Jussit omnes adsidere pueri mater alitis,
 57 jussit et nudo puellas nil Amori credere.

58 Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet.

59 Et recentibus virentes ducat umbras floribus.
 60 Cras erit quom primus Aether copulavit nuptias,
 61 et pater totis crearet vernis annum nubibus :
 62 In sinum maritus imber fluxit almae conjugis,
 63 unde fetus mixtus omnis aleret magno corpore.
 64 Ipsa venas atque mente permeanti spiritu
 65 intus occultis gubernat procreatrix viribus,
 66 perque coelum perque terras perque pontum subditum
 67 pervium sui tenorem seminali tramite
 68 inbuit jussitque mundum nosse nascendi vias.

69 Cras amet qui numquam amavi quique amavit cras amet.

70 Ipsa Trojanos nepotes in Latinos transtulit :
 71 ipsa Laurentem puellam conjugem nato dedit,
 72 unde Ramnes et Quirites proque prole posterum
 73 Romuli matrem crearet et nepotem Caesarem ;
 74 moxque Marti de sacello dat pudicam virginem
 75 Romuleas ipsa fecit cum Sabinis nuptias.

76 Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet.

77 Rura fecundat voluptas, rura Venerem sentiunt ;
 78 ipse Amor, puer Dionae, rure natus dicitur.
 79 Hunc, ager cum parturiret, ipsa suscepit sinu :
 80 ipsa florum delicatis educavit osculis.

81 Cras amet qui numquam amavit quique amavit cras amet.

82 Ecce jam subter genestas explicant agni latus,
 83 quisque tutus quo tenetur conjugali foedere.
 84 Subter umbras cum maritis ecce balantum greges :
 85 et canoras non tacere diva jussit alites .
 86 Jam loquaces ore rauco stagna cygni perstrepunt :
 87 adsonat Terei puella subter umbram populi,
 88 ut putes motus amoris ore dici musico,
 89 et neges queri sororem de marito barbaro.
 90 Illa cantat, nos tacemus. Quando ver venit meum ?

91 Quando fiam uti chelidon, ut tacere desinam ?
92 Perdidi Musam tacendo, nec me Phoebus respicit.
93 Sic Amyclas, cum tacerent, perdidit silentium.
94 Cras amet qui numquam alavit quique amavit cras amet.